61372/P

DISSERTATIO
DE FEBRIBUS
IN GENERE.

CUJUS PROPOSITIONUM Veritatem in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano propugnabit ab horâ octavâ ad meridiem, Die mensis Maii Anni 1729. GERALDUS DUFOUR, Coretenſis apud Convenas, antiquus Univerſitatis Conſiliarius, Artium Liberalium Magiſter, & jam dudum Medicinæ Studioſus.

PRÆSIDE

R. D. HENRICO HAGUENOT, REGIS Conſiliario & Medico, in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio, & Societatis Regiæ Scientiarum Socio.

Ad primam Apollinarem Lauream conſequendam.

MONSPELII,
Apud FRANCISCUM ROCHARD, Regis ac Univerſitatis Typographum unicum.

M. DCC. XXIX.

DISPUTATURI

PROFESSORES REGII.

318332

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac, *Sereniſſimi Aurelianenſium Ducis Archiater.*
R. D. Antonius Deidier, *Sti. Michaëlis Eques.*
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol, *in Seneſchalli & Præſidiali Curiâ Comes Honorarius.*
R. D. Joannes Aſtruc.
D. D. Jacobus Lazerme.
R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Patris Coadjutor.*
R. D. Geraldus Fitzgerald.

DOCTORES ORDINARII.

M. Hugo Gourraigne.
M. Nicolaus Fournier.
M. Joſephus Vilhiés.
M. Antonius Ferren.
M. Joſephus Braquety.
M. Andreas Cantwell.
M. Hyacinthus Madier.
M. Bernardus Daugereau.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE



ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D. FRANCISCO - XAVERIO BON, Equiti, Marchioni Sancti Hilarii, Baroni Forquiorum, Domino Cellænovæ, Sancti Quintini, &c. Regi à Conſiliis, Senatûs Monſpelienſis Principi, & Regiæ Scientiarum Academiæ Monſpelienſis Præſidi.

VIR ILLUSTRISSIME,

Cum priſco Academiæ more receptum ſit, ut ſub Clariſſimi Viri patrocinio prodeant, qui ſtudii ſui periculum facturi ſunt, gratulor mihi, qui eum nactus ſim Mæcenatem, quo clariorem & magis benevolum ne voto quidem exoptare poteram. Tibi meorum ſtudiorum primitias devoveo, Princeps Senatûs

Illuſtriſſime, qui cum mihi cariſſimum Filium ſtudiis excolendum commiſeris; meæ magis quàm illius utilitati conſuluiſſe viſus es: Domi enim tuæ vivens tequè propiùs intuens, ad omnem diſciplinam erudiri ipſemet facillimè poſſum.

Norunt omnes quantùm ingenio valeas, non illo tantùm, quo poſſis Legum ambages expedire, ſed quo etiam in re Litterariâ præſtantiſſimus videaris: non gravi dumtaxat ac maturo, ſed vivido quoquè, feſtivo, lepido, & gravioribus diſciplinis ſic inſtructo, ut amænioribus delectetur, quo deniquè non minùs in Licæo, quàm in Foro diſceptandi jus obtines, utrobiquè & ad dirimendas Lites, & ad promovendas Artes aptiſſimus.

Nequè id mirum cuiquam videri debet: etenim ſcientias ità impensè excoluiſti, ut quem ſucceſſione Paternâ Regumquè conceſſione Principatum tenes in Senatu Ampliſſimo, diſſimulare quodammodo viſus ſis, quo propriis dotibus alterum quæreres: ità etiam amaſti Scientias, ut eaſdem non regnare modò, ubicumquè præſides, atquè in honoris tui ac decoris partem vocare, ſed locupletare etiam, atquè amplificare novis inventis volueris.

Hinc felicibus tuis auſpiciis, pro eo quo valebas apud Regem favore, ſummaquè tuâ cum illuſtrioribus Viris Academicis conſuetudine, primò in lucem prodiit, adolevitquè deindè & floruit Monſpelienſis Academia; hinc novum illud quod rebus Phyſicis Mediciſquè decus addidiſti, cum ſtupendum prorsùs atquè hactenùs inauditum Aranearum folliculos nendi atquè texendi artificium oſtendiſti; cum guttas Monſpelienſes ex eodem fonte manantes primus collegiſti; cum Caſtaneas illas amariores, novis artibus, abſque ullâ ſeu formæ, ſeu coloris immutatione melle propè dulciores effeciſti; adeo ut naturam quam velut ingraveſcente ætate, ſeneſcentem, novis fœtibus edendis minùs idoneam criminabantur, vindicaveris.

Hæc ſunt, Senatûs Princeps Illuſtriſſime, virtutis propriæ decora: efferent alii Majorum tuorum merita, ſchemata referent & Regia munera, æternum Avitæ virtutis præmium & monumentum: at de illis ſilere omninò conſultiùs exiſtimavi, ubi laus erat propria. Tibi exemplo ſunt illi: hos tu æquitate, peritiâ, urbanitate refers. Nepoti inviderent illi, ſi quis poſſet eſſe invidiæ locus, nec tua in ipſos gloria redundaret. Unum eſt quod prætermitti ſilentio nolim, ſpem dico

ſuaviſſimam quam facit cariſſima & amantiſſima Soboles, futurum aliquandò, ut in Filiis vivat Parens glorioſiſſimus. Huic certè quem mihi dediſti erudiendum nihil habeo quod impenſiùs commendem, nihil quod in ore frequentiùs habeam, quàm hæc veteris Poëtæ verba, Sæpè tibi Pater eſt, ſæpè legendus Avus.

DISSERTATIO
DE FEBRIBUS
IN GENERE.

CUM Febris morbi genus ſit non unam tantummodò corporis partem ; ſed univerſum corpus afficiens, utrique Sexui commune, nulli parcens ætati, Regioni, temperamento, ideoquè cæterorum omnium morborum maximè frequens, Medicorum intereſt plurimùm ejus naturam & cauſas apprimè cognoſcere, ut indè præſidia huic curandæ idonea opportunè exhibeantur.

Opus itaquè utut perarduum ac laborioſum tractare animus eſt, viâ tamen brevi & compendiariâ, ne præfixos diſſertatiunculæ limites excedat, illudque eò lubentiùs aggredimur, quòd omnes hactenùs propoſitæ tùm veterum cùm recentiorum ſententiæ de causâ Febrium explicandæ pulſûs frequentiæ impares eſſe videantur.

Verùm, ut ſententiam noſtram in re adeò longâ & operoſâ breviùs, quoad fieri poterit,

aperiamus, conſultò prætermiſſis iis, quæ ad unamquamque Febris ſpeciem ſpectant, juvat ea dumtaxat, quæ de Febribus generatim dicenda ſunt, ſummatim attingere.

CIrca Febris naturam una fermè eſt eademquè omnium ſine ullâ varietate opinio: magna enim & ſanior Medicorum pars Febrem ſymptomaticè definitam in præternaturali pulſûs frequentiâ conſiſtere arbitratur; nequè perperàm, cùm ſolo hoc morboſo ſymptomate Febris ratio innoteſcat; hanc tamen, ſi ſpectetur ejus eſſentia, accuratiùs definiendam eſſe cenſemus *præternaturalem arteriarum & potiſſimùm cordis affectionem, quæ vitiosâ pulsûs frequentiâ deſignatur*, ſivè excedat calor, ut in Febribus ardentibus, ſivè frigus, ut in algidis, ſivè calorem frigus, horror, rigor, & horripilationis ſenſus præceſſerint, ut in intermittentibus, ſivè deniquè utrumque varias ſimùl corporis partes afficiat, ut in Epialâ & Lipyriâ.

Hinc liquet 1o. Febris ſedem in corde potiſſimùm (ut infrà fuſiùs probabitur) collocandam eſſe: cùm enim cor ſit primum movens, cæteras totius machinæ partes in motum concitat; præcipuè verò arterias ab ipſo ortas, quarum contractio cordis contractioni proportione reſpondet: undè prima mali labes à corde neceſſariò deducenda.

Liquet 2o. frequentiam pulsûs, quæ mo-

mentanea eſt & à causâ quâpiam levi excitatur, non eſſe Febris nomine donandam, ut potè quæ functiones conſtanter non lædat, nequè Medici operâ indigeat.

Liquet 3o. non audiendos eſſe nonnullos, qui ad conſtituendam Febris naturam, calorem intenſum advocant: nam ſivè Febris calore adaucto per totum corpus diſperſo, ſivè ſummo frigore habitum, vel interiora deurente ſtipetur, perindè eſt, atquè toties æger febrire dicitur, quoties arteriæ frequentiùs pulſant cum perſeverante læſione functionum.

FEbres multiplici nomine diſcrepant: 1o. ratione cauſæ, alia dicitur eſſentialis ſivè idiopathica, quæ à ſolo cordis vitio fit, & independenter ab aliarum partium affectu; alia ſymptomatica, quæ à vitio partium à corde remotarum producitur. vel ſaltem fovetur, putà abſceſſu, inflammatione, ulcere, dolore, &c. ſub hoc eodem reſpectu, alia lactea eſt, vel putrida, prout à lactis ſuppreſſione, vel ab humorum corruptelâ ortum ducit.

2o. Ratione moris, quadruplex eſt, benigna, maligna, peſtilens & contagioſa. Benigna illa eſt, quæ levibus ſtipata ſymptomatis parvam infert functionum læſionem; maligna, ſeu inſidioſa, quæ functiones plurimùm lædit, & gravia ſecum affert ſymptomata, quæ con-

ſuetis ſignis, pulſu ſcilicet, & urinis non indicantur; peſtilens ea eſt Febris malignæ ſpecies, quæ populariter graſſatur, & in quá ità ſæviunt ſymptomata, ut pauci ex eâ convaleſcant; contagioſa demùm, quæ ab ægrotis profecta in ſanos propagatur.

3o. Ratione motûs, alia longa eſt, quæ diù durat, alia brevis, quæ citò terminatur, quibus ſi adjungaś vitæ periculum, hæc acuta, illa lenta appellabitur.

4o. Ratione eventûs, nunc ſalutaris eſt, ſi ad ſalutem; nunc lethalis, ſi ad mortem; nunc deniquè periculoſa, ſi quandoquè ad ſalutem, quandoquè ad mortem terminetur.

5o. Ratione loci, in ſporadicam, vel epidemicam dividi poteſt, prout ſparſim in variis Regionibus, vel in Regione aliquâ populariter graſſatur.

6o. Ratione compoſitionis, dicitur ſimplex, vel complicata; ſimplex, ſi ſola ſit, nulliquè alteri Febris ſpeciei adjuncta; complicata verò, ſeu compoſita, ſi cum alterâ Febris ſpecie conjungatur: Sic hemitritæum ex quotidianâ continuâ & tertianâ intermittente, vel ex tertianâ continuâ & quotidianâ intermittente componi antiquis viſum eſt, ſic potiori jure Febrem malignam cum ſynocho complicari obſervamus.

7o. Ratione ſymptomatum, varia ac multiplex eſt Febris differentia; hinc ſyncopalis, ſoporoſæ, epialæ, lipyriæ &c. nomen habet.

8o. Ratione excretorum, diverſa etiam ſortitur nomina; nunc enim elodes dicitur,

quæ ſudorem, aſſodes, quæ vomitum ciet: ad hanc quoquè claſſem revocari debent Febres variis exanthematis in cute erumpentibus ſtipatæ, petechialis, ſcarlatina, varioloſa, morbilloſa, &c.

90. Deniquè ultima, ſed ſumma ac præcipua Febrium differentia in praxi utiliſſima petitur à continuitatis duratione: nempè eâ ratione Febris in genere dividi ſolet in continuam & intermittentem.

Continua ea dicitur, quæ continuò ægrum affligit à primo invaſionis tempore ad perfectam uſque ſolutionem; intermittens, quæ per intervalla deſinit & recurrit.

Continua, alia dicitur ſimplex, alia exacerbans: ſimplex eodem ſemper tenore à principio ad finem uſquè perdurat abſque ullâ exacerbatione, ſic eſt ephemera; exacerbans verò ea eſt, quæ ſua percurrendo tempora periodicè exacerbatur.

Ex intermittentibus aliæ ordinatè & ſtatis recurrunt periodis, aliæ ſine ullo ordine, & per incertas ac indeterminatas periodos; priores, periodicæ, poſteriores verò erraticæ appellantur.

Rursùs utraque Febris continua exacerbans & intermittens periodica pro exacerbationum aut periodorum diverſitate multiplex eſt, quotidiana quæ ſingulis diebus, tertiana, quæ alternis, quartana, quæ quartâ qualibet die incluſivè ægrum invadit; prout autem bis, tervè, vel eâdem, vel tertiâ, vel quartâ quâque die periodicè recurrit, vel exa-

cerbatur, duplex triplexvè quotidiana, tertiana, quartana intermittens vel exacerbans nuncupari ſolet; dantur quoquè, ſed rariùs, quintanæ, ſextanæ Febres &c. quæ talem ſervant in periodo, vel exacerbatione ordinem ut 5a. vel 6a. die ſuam tragœdiam agere cæterarum more ſoleant. Interdùm acceſſiones ità confunduntur, ut notari nequè tempora earum, nequè ſpatia poſſint, proindequè deceſſionem acceſſio nova proximè ſequatur, quæ Febres à nonnullis ſubintrantes vocari conſueverunt, de quarum genere aliæ ſunt continuæ, intermittentes aliæ. Ad hæc altera Febris continuæ ſpecies eſt hemitritæus dicta, quæ per totum decurſum alterâ die ſemel alterâ bis exacerbatur, aut vice versâ. Deniquè præter duplicem quartanam, quæ quarto quolibet die bis recurrit & recedit; datur alia duplex quartana intermittens, quæ per duos dies conſequentes quâlibet die invadit & deſerit, tertiâ integrâ & ab acceſſione liberâ, de quibus ſingulis Febrium generibus ſpeciatim diſſerendi hîc locus non eſt.

IN aſſignandâ Febris causâ, mirum quantùm inter ſe Authores diſſentiant: quamobrem brevitati ſtudentes, ne tempus terere videamur in confutandis tot hypotheſibus, ſtatim noſtram ſuper hac re ſententiam paucis exponere conſilium eſt.

Age verò, quoniàm præternaturalis pulsûs

frequentia ſignum eſt Febris eſſentiale, ſeu pathognomonicum, ab illâ cauſam proximam Febris eruere æquum eſt.

Cùm autem pulſus conſiſtat in arteriarum dilatatione, quæ debetur ſanguini à corde propulſo, ſequitur ſtatim pari proportione dilatandas fore arterias, quâ ſanguis à corde in eaſdem propellitur; rursùs cùm ſanguis ſolâ vi contractivâ cordis in arterias ipſi appenſas impellatur, creſcente, aut remittente illâ vi, vel rariùs, aut frequentiùs agente, copioſiùs, vel parciùs, rariùs, vel frequentiùs trudendum ſanguinem, & conſequenter pulſum validiorem, aut debiliorem, rariorem, aut frequentiorem futurum eſſe evidens eſt.

Tota igitur ratio Febris à corde proximè repetenda, ut ſuprà innuimus, proindequè in ipſo limine ſtatuendum cauſam pulsûs frequentiæ eſſe frequentiorem cordis ſyſtolen.

Verùm ulteriùs progredi oportet, & cauſam frequentioris cordis contractionis perveſtigare, quod quidem, ignotâ naturalis cordis motûs causâ, nos unquàm aſſecuturos ſperare nullomodo licet: quare ad illam detegendam nos accingamus.

Nequè multùm in hoc opere deſudabimus, ſi attendamus ad intimam cordis fabricam: cùm enim cor muſculoſum ſit & ſubſtantiâ ſuâ carneum, ſequitur pari modo contrahendum fore ac ſimili mechaniſmo, quo cæteri muſculi ſolent: naturam enim decet eâdem ac conſimili planè methodo ſemper operari;

ſed ſana docet phyſiologia cæterorum muſculorum contractionem deberi ſpiritibus influentibus, quos aëreos eſſe alibi docuimus, & quorum ope tenſis ac tumefactis fibrarum veſiculis, harum moles abbreviatur ; pari ergò ſpirituum influxu tendendæ, inflandæ, atquè decurtandæ ſunt carneæ cordis fibræ, ut viſcus illud vitæ tuendæ adeò neceſſarium ſuum contractionis motum obeat.

Perperàm objicies ſpiritus exindè ab hoc negotio excludendos ; quòd ligatis, vel ſectis nervis cardiacis, nihiloſeciùs motus cordis aliquandiù perſeveret, dùm reſectis, vel ligatis pari modo reliquorum muſculorum nervis, muſculi reſolvuntur contractionis exercendæ prorsùs neſcii : hanc enim difficultatem ſolvere æquè arduum eſt in omni motûs cordis hypotheſi ; nimirùm reddenda ratio, cur exempto corde ex animali vivente, atquè proindè intercepto cum cæteris fluidorum circulantium partibus commercio, ut obſervare eſt in anguillis, ranis, viperis, ſerpentibus, & reptilibus ferè omnibus, quorum extracta corda micant per 40. circiter horas, cur, inquam, ſanguis reſiduus, reſidui ſpiritus, alteravè quælibet cauſa aſſignabilis contractionis cordis, hanc alternatim ſolito more continuet, in quo quidem caſu nec ſanguis per appenſa vaſa, nec ſpiritus per nervos cardiacos, nec fluida alia quæcumque cordis motricia fibris ejuſdem contrahendis ſuppetunt.

Fatendum igitur ingenuè hujus phænomeni

ni rationem eſſe abditiſſimam & explicatu omninò difficilem in quacumque hypotheſi; in noſtrâ tamen rem minùs operoſam eſſe comperiet, quiſquis tùm ſtructuram cordis & muſculorum, tùm ſpirituum cor ac muſculos contrahentium naturam ſeriò perpendet: cùm enim ſpiritus animales aërei ſint, patet illicò eorum defectum ſupplere poſſe partes aëris externi iis maximè analogas, quæ innatâ gravitate in cordis fibras intromiſſæ eas dilatare, decurtare, verbo contrahere valent, dein elatere ſuo reſtituendas & laxandas, ; atquè hoc pacto liquidò conſtat cordis motum continuandum eſſe, quandiù nativus fibrarum carneanem cordis elater perſtabit incolumis; eo verò ceſſante, tandem abolendum; deindè, quoniàm cor firmioris eſt contexturæ, & vaſis magis complicatis, ſtrictiùs compacttis magiſquè elaſticis inſtruitur, quàm muſculi, quorum fibræ laxiùs contextæ minori gaudent vi elaſticâ, ſequitur ligatis, vel ſectis muſculorum nervis, reſolvendos eſſe protinùs muſculos contractionis planè expertes; dùm è contrà nervorum cardiacorum ſectio, aut ligatura cordis contractionem non cohibet. Adde inſuper cor à primo vitæ ſpiritu ad extremum uſquè indeſinenter moveri, indequè habilitatem veluti quandam ad motum acquirere, cujus ratione, vel levi de causâ, motum ſuum renovet; non ſecùs ac funependulum ſemel motum, quod vi propriâ & abſque novâ impreſſione externâ in partes oppoſitas per aliquod temporis ſpatium impellitur, vel cam-

panæ inſtar, quæ ſemel malleo percuſſa incepto motui vibratorio continuando apta eſt ; ſecùs autem parem in muſculis diſpoſitionem non reperiri ex intermiſſo eorum motu conſequens eſt : undè, ubi ſemel laxati à contractione feriantur, difficilè admodùm poſſunt ad motum ineundum exſuſcitari.

Motum hunc cordis contractivum mechanicum eſſe & ſpontaneum exindè liquet, quod hunc nec retardare, aut accelerare, nec retundere ullomodo liceat : undè ſequitur illum pendere à ſpiritibus, qui è cerebello, aut ſpinali medullâ profluunt, quos vitales nuncupare placuit, & quorum motui ſenſationes adſcribi non poſſe probavimus *Diſſertat. de ſenſationibus externis.*

MOtus cordis, quandiù vita eſt, alternatim & ſucceſſivè peragitur eâ lege, ut contractionem dilatatio & dilatationem contractio proximè ſequatur, atquè eâ dilatationum & contractionum ſerie, ſanguis cordis ventriculorum cavitates ingreſſus, mox ab iiſdem in appenſas arterias truditur humorum circuitum in univerſo corpore perennaturus.

Simili diaſtoles & ſyſtoles ſucceſſione moventur ob ſtructuram planè conſimilem ambæ cordis auriculæ, quæ cordi antagoniſtæ ſunt; hoc interim diſcrimine, quòd earum dilatatio cum cordis contractione, contractio autem cum dilatatione mutuò coincidant &

æquis temporibus perficiantur, eo ſcilicet fine, ut cruor ventriculorum contractione pulſus in arterias, deincepſquè in venas mox ab auriculis exceptus harum ſyſtole in ventriculos iterùm infundatur ſuccedaneam advocaturus ventriculorum contractionem, quâ ſanguis denuò in arterias compellitur.

Verùm hujus diverſorum motuum reciprocationis tàm in auriculis, quàm ventriculis cordis mechaniſmum hîc exponere non abs re fore arbitror, quò faciliùs intelligantur ea quæ dicturi ſumus in ſequentibus de frequentiore cordis contractione.

Quoniàm verò tota vis contractiva cordis & auricularum tempore ſyſtoles exercetur; in diaſtole verò illorum fibræ inertes & otioſæ à contractionis motu remittunt, expendendum eſt cur fibræ cordis & auricularum carneæ per totum vitæ ſpatium tàm ordinatè, tamquè regulariter alternis vicibus ſyſtoles motum edituræ ſint.

Superiùs autem ſtatuimus cordis fibras perindè ac cæterorum muſculorum uberiori ſpirituum affluxu intumeſcere, indequè contrahi; debent ergò ſpiritus alternatim & ſucceſſivè ad prædictas cordis & auricularũ fibras determinari; atqui nulla cauſa eſt, quæ talem influxum promovere poſſit ad cor ejuſque auriculas, præter refluxum quempiam ſpirituum, quem juxta cognitas ſympathiæ leges ſequitur eorundem influxus: (altera enim influxûs cauſa, nempè voluntatis imperium in motibus mechanicis & involuntariis, qualis eſt cordis

motus, accuſari minimè poteſt) influxum igitur in motrices cordis & auricularum fibras contrahendas alternatim factum refluxui pariter à prædictis partibus alternato tribuendum eſſe conſequens eſt, quo contractivus motus nunc in corde, nunc in auriculis ſucceſſivè fit, & in iiſdem interpolatè renovatur.

Jam verò cauſa, quæ refluxum à corde & auriculis promovet, adſcribi non poteſt niſi ſtimulo ab hærentibus & cumulatis humoribus fibrillas nerveas diſtrahentibus ac prementibus illato, vel in partibus vicinis, putà, pulmonibus, mediaſtino, pericardio, vel in corde ipſomet & auriculis; prius dici non poteſt: nam 1°. novimus quidem ſtimulari pulmones ad optatæ reſpirationis exercitium; imò ob duplicem ſtimulum alterno conſtrictionis & dilatationis motu mechanicè agitari; novimus inſuper eos cordi ſympathicos eſſe, ut patet ex plurimis thoracis affectibus, in quibus, læsâ reſpiratione, cor compatitur; nihilominùs tamen indè cordis motum commodè deduci nequaquàm poſſe hac ſolâ ratione evidens eſt, quòd alternus cordis motus alterno pulmonum motui non reſpondeat; ſed potiùs plures unius tantùm inſpirationis tempore cordis ictus percipiantur. 2°. Idem fermè dicendum eſt de Mediaſtino & pericardio, quæ reciprocum ſequuntur reſpirationis motum: hæc enim inſpirationis tempore deſcenſu diaphragmatis, cui alligantur, elongata atquè diſtracta, ſuccedente dein expiratione retrahi certum eſt, nec proindè motum tàm

celerem, ac eſt cordis motus, ſympathicè promovere ullo modo poſſunt.

Poſterius itaquè ſtatuendum ſupereſt, videlicet ſtimulum, quo cietur ſpirituum refluxus, in ipſis auriculis & in corde ipſo reſidere; ſic autem breviter rem totam expedire juvat, ſupponendo motum cordis à contractione inchoaſſe.

Contracto corde vi ſpirituum influentium, conſtat ſanguinem ex cordis thalamis in arterias appenſas aortam & pulmonarem impelli, atquè indè in ſingulas totius corporis partes, corde excepto, quod contractionis tempore expalleſcere, proindequè contentum cruorem exprimere notum eſt; verùm ità impulſus ſanguis 1o. dilatare debet omnes corporis arterias, exceptis illis arteriæ coronariæ propaginibus, quæ per cordis ſubſtantiam diſſeminantur. 2o. Poſitâ liquidi continuitate, ſeu vaſorum arterioſorum & venoſorum plenitudine, debet pars ſanguinis venarum cavæ & pulmonaris auriculis proxima in earundem cavitatem infundi. 3o. Cùm non poſſit ſubire cordis contracti ſubſtantiam, neceſſe eſt ut colligatur in arteriæ coronariæ truncis quos fortiter diſtrahit. 4o. Demùm ad auricularum ſubſtantiam, cohibito ad cor ingreſſu, uberiùs delatus vaſa earum ſanguifera expandendo premit muſculares veſiculas, proindequè fibras laxat, nerveoſque tubulos arctando ſpirituum refluxum ad cerebellum promovet. His adde influentes in fibras cordis ſpiritus eas dilatando villos tendineos exten-

ſiles & elaſticos, quibus multipliciter interſecantur, diſtrahere.

Ceſſante dein ſpirituum fluxu in fibras cordis, brevî ceſſatura eſt ejus contractio, & contranitentes potentiæ auricularum ſyſtolen advocabunt: nam primò tùm vaſa arterioſa ſingula ultra tonum naturalem diſtenta, tùm tendinei villi fibris cordis muſcularibus intertexti innatâ vi elaſticâ ſeſe reſtituere annitentur; deindè verò ſpiritus ab auriculis ad cerebellum repulſi, tùm parte illâ ſanguinis, quæ auricularum cavum ſubit & quâ ventriculorum parietes extenuantur, tùm ſanguine in propriam earundem ſubſtantiam devecto, non modò extendunt fibras cerebelli medullares, quarum nativus exſuſcitatur elater; verùm etiam in alios ſpiritus cerebelli incolas & ad influxum jugiter nitentes incurrunt, ſeſequè mutuò comprimunt, qui utpotè compreſſibiles & elaſtici, debent ſimiliter innato elatere priſtinum ſtatum ambire, & ad influxum determinari.

Hinc ſequitur vires præcipuas cordis contractioni contranitentes eſſe reſiſtentias arteriarum omnium, ſtaminum tendineorum quibus cordis fibræ vinciuntur, fibrarum cerebelli è quibus nervi ad cor pertingentes ſcaturiunt, ac tandem compreſſorum ſpirituum & ad auriculas influere nitentium; quæ quidem tandiù cedent cauſæ cor contrahenti, donec dato inter utraſque potentias æquilibrio, & ceſſante vi ſpiritus in cor pellente vires ſuas exerant & auricularum ſyſtolen,

arteriarum conſtrictionem, & funiculorum tendineorum reſtitutionem accerſant.

Ex adverſo, contractis arteriis, ſanguis tùm in venas continuas, tùm in cordis ſubſtantiam truditur; contractis pariter auriculis uberiori ſpirituum affluxu, vincula tendinea auricularum fibras colligantia diſtrahuntur, & acceptus ab auriculis cruor in obvios cordis ventriculos trajicitur: laxandum itaquè cor toto auricularum ſyſtoles tempore: ſanguis enim cordis ſubſtantiam ejuſdemquè thalamos ingreſſus debebit pari mechanicâ, quâ de auriculis jam jam dictum eſt 1°. diducere ventriculorum latera & vaſa cordis ſanguifera extendendo premere muſculares fibrarum cordis veſiculas, eas elongare, ſeu, quod idem eſt, laxare. 2°. Villos tendineos, quibus auricularum fibræ interſecantur, diſtrahere. 3°. Hærere ac cumulari in illis arteriæ coronariæ ramuſculis qui auriculis proſpiciunt, ut patet ex harum albedine, eo tempore, quo contrahuntur, ſicquè prædictos ramos diſtendere. 4°. Deniquè nervos cardiacos cordis ſubſtantiæ inſertos arctare, ut indè ſpiritus ad cerebellum reflui ſimilem extenſionem fibrarum producere, ſimilemque compreſſionem nitendo ac renitendo pati neceſſe habeant.

Ceſſante rurſùs in auricularum fibras ſpirituum actione, remittente etiam arteriarum ſyſtole, laxandæ auriculæ & nova cordis contractio ſubſecutura, in actum deductis potentiis contranitentibus, ſcilicet, vi elaſticâ

villorum tendineorum, quibus fibræ auriculárum carneæ nectuntur, trunci arteriæ coronariæ ad auriculas tendentis, fibrarum medullarium cerebelli, quæ ſunt nervorum cordis principia, ac tandem ſpirituum, qui in iiſdem fibrillis hinc & indè addenſantur, ſicquè provocato iterùm ſpirituum fluxu ad cor, nova veſicularum muſculoſarum expanſio, ſeu cordis fibrarum decurtatio neceſſariò ſuccedet.

Ex quibus evidens eſt ſtimulum, cujus ope ſpiritus nunc à corde, nunc verò ab auriculis ad cerebellum repelluntur, deducendum eſſe ab hærente & collecto ſanguine modò in auriculis, contracto corde, modò in corde, contractis auriculis; quæ cùm ità contingere debeant ex ſtabilito mechaniſmo, interpolatis quoquè vicibus, ex indeſinenti, ſed alterno ſpirituum, nunc ab auriculis, aut ventriculis refluxu, nunc verò ad hos, aut illas influxu, cor & auriculas toto vitæ curriculo contrahi & dilatari neceſſe eſt.

SIc expoſito reciproci cordis & auricularum motûs mechaniſmo facilè attendenti patet 1o. prodiverſo ſpirituum in cor influxu uberiori, vel parciori, rariori, vel frequentiori, majorem vel minorem, rariorem, aut frequentiorem cordis contractionem adfuturam.

Patet 2o. arterias, quarum diaſtole cordis ſyſtole

ſyſtole proportione reſpondet, pari ratione validiùs, vel debiliùs, rariùs, aut frequentiùs eſſe dilatandas, ac per conſequens pulsûs frequentiæ cauſam proximam in frequentiori cordis contractione conſiſtere à frequentiori ſpirituum influxu oriundâ.

Patet 3°. frequentiorem hunc influxum ſpirituum in cor à ſanguine in cordis ſubſtantiâ & cavitatibus ſtagnante, eaſquè frequentiùs ſtimulante eſſe repetendum.

Sanguis autem in prædictis cordis partibus hærens nequit præternaturam ſtimulare, & frequentiorem proritare ſpirituum influxum, niſi quia ſolitò majori quantitate ſtagnat & colligitur in corde & auriculis: undè creſcente refluxûs cauſæ vehementiâ creſcit ſpirituum refluentium quantitas ac celeritas, indequè pari vehementiâ ac celeritate ad cor influentes breviori temporis ſpatio fibrarum cordis muſcularium veſiculas extendunt, & citiùs celeriuſquè contractionis motum abſolvunt; cùm autem ſingulis cordis contractionibus nequeat tota hærentis ſanguinis copia expelli, perſtante obice cor ſtimulante, vehementer iterùm ac celeriter ſpiritus repulſi novum denuò ac brevî influxum celerem advocaturi ſunt, quo cita fiet cordis ſyſtole, ſicquè breviori tempôre motionibus cordis recurrentibus, ſanguis frequentiùs è cordis thalamis depulſus frequentiorem arteriarum dilatationem pariet, ſeu pulsûs frequentiam.

Res autem accidit in corde non abſimili

modo, quo in pulmonibus, quorum ſtimulus duplex expirationis & inſpirationis motum alternum ſollicitans, ſi præternaturam augeatur, ut accidit poſt vehementia exercitia, in inſultu aſthmatico, in catarrho, pleuritide, peripneumoniâ &c. citatiorem ac frequentiorem ciet reſpirationis motum: cùm enim totus ſanguis in pulmone hærens ingreſſi aëris ope expelli nequeat ſingulis inſpirationis motibus, ſequitur minorem fore veſicularum pneumonicarum expanſionem, quæ quidem brevius ſpatium percurrendo debet breviori temporis intervallo perfici, proindequè, præſente ſtimulo novum influxum celerem accerſendo frequentiùs redire, atquè eo pacto provida natura his pulmonum impedimentis occurriſſe viſa eſt frequenti inſpiratione ac ſæpiùs repetitâ, quæ validæ, ſed rarioris inſpirationis vicem ſupplet.

Ex dictis ſequitur 1o. non audiendos eſſe, qui Febrem deducunt ex adauctâ prætermodum ſanguinis fermentatione illatâ à miaſmatis, ut loquuntur, ſanguini hæterogeneis: nam ſummum excitari orgaſmum abſque Febre demonſtrat cognita maniæ theoria; ſimili ratione evidens eſt circularem ſanguinis motum non accelerari neceſſariò ob validiorem cordis contractionem, proindequè falſum eſſe quod nonnulli aſſerunt ex aucto cordis vigore ſanguinem frequentiùs ad cor appellere, illudquè ad frequentiores contractiones ſollicitare.

Sequitur 2o. hallucinari pariter eos, qui

contendunt cauſam proximam Febris eſſe præpeditum ſanguinis circuitum in ultimis vaſorum capillamentis ; quam ſententiam, cùm in ſcholis non ità pridem caput extuliſſe viſa ſit, & in omnium animos irrepſiſſe, quaſi cæteris palmam præripiat, hîc obiter explodere operæ pretium eſt.

Statuunt autem hujus opinionis fautores, extremis vaſorum ſanguineorum finibus obſtructis, cruorem per truncos duntaxat & majora vaſa circulantem tùm rectiori ac breviori viâ per venas ad cor revehi, tùm auctâ quantitate ſanguinis in vaſis majoribus, hæc, utpotè magis turgida, validiùs contrahi, proindequè citiùs ac celeriùs contentum ſanguinem urgere in venam cavam, indequè frequentiùs ad cordis ſinus, atquè ex illo frequentiori cruoris appulſu cor frequentiùs contrahendum eſſe inferunt.

Verùm 1º. circuitione utuntur, dùm inquirentes cauſam frequentioris arteriarum dilatationis recurrunt ad frequentiorem cordis ſyſtolen; hanc verò in frequentiorem arteriarum oſcillationem refundunt, ſicquè vitioſum circulum faciunt.

2º. Falsò ſupponunt, facto obice in capillaribus vaſis, ſanguinem per majora vaſa & per truncos duntaxat circuitum ſuum obire, cùm ſanguis ab arteriis in venas traduci nequeat, niſi ſuperatis vaſis capillaribus : nulla enim alia patet via.

3º. Concipi nequit in illâ hypotheſi, quâ ratione Febris excitetur ex inflammatione

parùm extenſâ, qualis fit in paronychiâ, furunculo, imò exiguiſſimâ papulâ : cùm enim in enumeratis caſibus tantilla ſanguinis copia hæreat, quæ toti ſanguinis moli collata exiguiſſimi eſt momenti, illam circulationi ſanguinis accelerandæ imparem eſſe manifeſtum eſt.

4°. Deniquè, etiamſi obſtructa vaſa minima numeroſa ſint, & magna ſanguinis quantitas per vaſa propiora libera, creſcente fluidi mole, velociùs multò moveatur; ſtatuimus tamen non indè accelerandum fore ejus appulſum ad cor per venam cavam; quod ſic placet paucis evincere. Ponamus è centum capillamentis in venoſum aliquem ductum majorem deſinentibus quinquaginta obſtrui; demus inſuper per alia quinquaginta, quæ libera ſunt, totum ſanguinem, qui in ſtatu naturali centum vaſcula perluebat, trajici; demus ex duplò majori ſanguinis mole duplò majorem eſſe ſanguinis decurrentis celeritatem in vaſis quinquaginta liberis obici proximis, patet indè ductum communem, in quem capillaria terminantur, eandem ſanguinis copiam ac anteà, ſemper admiſſurum, nunc per centum vaſa capillaria, ſed duplò lentiùs, nunc per quinquaginta tantùm, ſed duplò velociùs : undè progreſſivus ſanguinis motus, utut in capillaribus celer, ubi ad truncum pervenit, nullatenùs accelerabitur; ſed potiùs, manente eâdem vi pellente, ſeu contractione cordis, par erit utriuſque velocitas, & conſequenter, obſtructis vaſis minimis,

pari paſſu ſanguinem ad cor revehi neceſſe eſt , ac ſi nulla foret obſtructio.

Nequè tamen diffitemur in Febre extrema vaſorum capillamenta obſtrui ; at negamus genita in iis impedimenta idcircò Febrem producere , quòd major indè ad vaſorum truncos ſanguinis copia pellatur , ejuſquè celeritas augeatur ; ſed potiori jure quòd , oblatâ ſanguini motu cordis retrò appellenti reſiſtentiâ , hic in corde remoretur , illud infarciat , irritet , & ad frequentiores ſolitò contractiones ſollicitet , quibus ſemel inceptis , ſanguinem frequentiùs trudendum in arterias , earumquè parietes frequentiùs extendendos eſſe conſequens eſt ; ut proindè rationi conſentaneum ſit non ab arteriis, ſed à corde deducendam eſſe pulſûs frequentiam, atquè in hoc viſcere præcipuam Febris ſedem eſſe collocandam.

Febrem itaquè eſſe cordis morbum adſtruimus inflammationi proximum ; non inflammatorium tamen , ob majorem nervorum copiam , ſeu firmiorem contexturam , quâ cor cauſis inflammationem parientibus magis obnititur , quàm cæteræ totius corporis partes ; alioquin ex minimo illius viſceris impedimento brevî actum eſſet de corporis œconomiâ ; tanti momenti erat principem hanc animalium machinam , quæ cæterorum motuum principium eſt , condere cæteris partibus firmitate contextûs ſuperiorem : eâdem de cauſâ alma parens natura conſimili fabricâ pulmones donavit, quos in aſthmate per plu-

res annos affici citra inflammationem certum eſt, utcumquè labefactatis, ſaltem in paroxiſmo, vaſis eorum ſanguiferis.

HActenùs liquet ſanguinis moram in vaſis cordis ejuſquè thalamis eſſe cauſam, quæ cor ad frequentiores contractiones ſtimulat; conſectarium ergò eſt ea, quæcumque apta ſunt producendæ ſanguinis hærentiæ, quo vaſa cordis ſanguifera infarciuntur, pro cauſis remotis habenda eſſe.

Vaſa autem cordis ſanguifera contento liquido infarciuntur duplici causâ, vel quià ſanguis ad cor ſolitò uberiùs confluit, vel quià licet ſolitâ copiâ appellens pari proportione per venas regredi nequit: in utroque caſu expandi vaſorum tunicas, earumquè præpeditâ vi elaſticâ, ſanguinem hærere atquè cumulari planum eſt.

I. Sanguis ſolitò uberiùs confluet ad cordis ſubſtantiam, ſi naturalis augeatur humorum moles, vel ſi præclusâ ipſi viâ per arteriæ aortæ ramos, indè ad coronarias cogatur divertere.

1o. Naturalis augebitur moles humorum in plethorâ verâ, vel apparenti; plethoram veram inducent edulia copioſiùs ingeſta, ſuppreſſæ evacuationes naturales, vel jamdiù conſuetæ &c. Sic ingurgitationi, ſic ſuppreſſis catameniis, urinæ, perſpirationi inſenſibili, lochiis, lacti, &c. Febrem non raro

ſuccedere quotidiana docet experientia ; apparentis verò plethoræ , ſeu vaſorum turgeſcentiæ cauſæ ſunt aër impenſè calidus , cibi acres , ſalſi, piperati , condimentorum omne genus, vigiliæ diù protractæ , purgantia mochlica , emetica , exercitia immodica , & alia ſexcenta.

2o. Sanguis ob præcluſam ſibi viam per aortæ ramos ad coronarias arterias uberiùs divertet, ut patet ex cognitis liquidorum legibus : ſic obſtructis & inflammatis hepate, liene , pulmonibus, renibus, cerebro , aliiſquè viſceribus , ſic pariter ex repentino aliquo ac vehementi animi pathemate , timore putà, irâ, vel ex immerſione in aquam frigidam conſtrictis extremis vaſorum capillamentis ac proindè circuitu difficiliori reddito Febrem invadere haud infrequens eſt.

II. Inhibebitur ſanguinis regreſſus per venas coronarias , vel ſi vaſa cordis ſanguifera obſtructa ſint , compreſſa , aut præternaturam conſtricta , vel ſi ſanguis per libera hæc vaſa trajectus in auriculas cordis , vel ejus thalamos infundi nequeat ; verùm quandoquidem cor pericardio obvolvitur , & aqueo ejus latici quaſi innatat , vix cauſis comprimentibus objicitur ; inſuper quanquàm in violentis animi pathematis , nec non ſævis partium doloribus concuſſo nervoſo ſyſtemate , ſympathicus fieri poſſit atquè uberrimus ſpirituum influxus in fibras cordis , atquè adeò ſequatur præternaturalis ejus conſtrictio, ſeu convulſiva criſpatura ; indè tamen arcta-

tis cordis vaſis, & inhibito omninò ſanguinis commeatu, ſyncope potiùs, quàm Febris contingeret; concludendum igitur reditum ſanguinis per venas coronarias præpediri, vel ex obſtructione vaſorum cordis, vel ex denegato ingreſſu ſanguinis in auriculas cordis ejuſquè ventriculos.

1o. Obſtruentur vaſa cordis ſanguifera à contento ſanguine craſſiori ac viſcidiori: craſſiorem ſanguinem efficient aëris externi frigiditas, nimia quies, ſomnus largior, ſollicitudines, mentis contentio diuturna, virus venereum, ſcrophuloſum, ſcorbuticum, partes purulentæ & deleteriæ indolis ex ſuppurante aliquà internâ parte per oſtia vaſorum aperta ſanguini transfuſæ; ſed præſertim ſucci crudi, malè ſubacti, acidi è primis viis oriundi, cauſa Febris eheu nimiùm frequens! Cæteraquè benè multa, quæ coctionem lædunt.

2o. Reditus ſanguinis à corde inhibebitur, ſi venæ coronariæ per oſcula ſua, quæ in auriculas cordiſquè thalamos dehiſcunt, nequeant ſanguinem acceptum exonerare, quod fiet, vel ob pulmonum impedimenta, propter quæ ſanguis in arteriam pulmonariam impulſus eorum ſubſtantiam difficilè ſubit, & in dextro cordis ſinu dextraquè ipſius auriculâ cumulari cogitur: ſic peripneumonia pleuritis, &c. Febrem eſſentialiter comitem habent; vel propter nimium appulſum ſanguinis per venam cavam ad cor cum impetu irruentis, qui ſuperat niſum alterius ſangui-

ni-

nis per memorata venarum coronariarum orificia effundendi : ſic validiores muſculorum contractiones comprimendo radices venarum, quæ reducem ſanguinem venæ cavæ trunco infundunt ; ſic dolores arthritici, rheumatici, & vehementia animi pathemata, putà, ira effrænata, pavor ſubitaneus, &c. influxum ſympathicum advocando, quo partium niſus ſyſtalticus adaugetur & vaſa conſtringuntur ; ſic deniquè purgantia nimiâ doſi & intempeſtivè adhibita, ſpirituoſa, ſalſamenta, aliaquè id genus, quæ ad humorum motum intendendum idonea ſunt, irritando ſolida, eorumquè vim elaſticam excitando Febrilem pulsûs frequentiam ſæpè accerſunt.

QUemadmodùm Febris ſymptomatica infinitos ferè morbos conſequitur, ita idiopathica, ſeu eſſentialis tàm multos parere potis eſt, ut totuplicia ſtatui poſſint morboſa Febrium ſymptomata, quotuplices ferè morbi ſunt, quibus humanum genus obnoxium eſſe novimus : intereà, ne extra debitos limites divagemur, præcipua hîc tantùm afferre & ſummatim exponere ſymptomata conſilium eſt, quæ non omnia in omni Febre ſe ſiſtunt, ſed quæ Febrem frequentiùs comitantur, conſultò prætermiſſâ pulsûs frequentiâ, quæ ex jam ſuppoſito cordis obice luculenter patet, & quam præternaturalem eſſe indè deducitur, quòd conſtans ſit cordis

obex, non autem fugax & momentaneus, ut currentibus, aut altiora loca aſcendentibus accidit, proindequè multiplicem functionum læſionem inferat.

Hæc autem jam recenſenda ſymptomata, qualiacumque ſint, & ex quocumque variarum partium vitio pendeant, interturbatum ſanguinis in corde, aut diverſis aliis partibus circuitum agnoſcunt, ut ex ſequentibus obvium erit.

1o. Pro vario cordis infarctu Febris erit continua, exacerbans, vel intermittens, brevis, vel diuturna, plùs minuſvè periculoſa; continua, ſi perſeverante cordis obice, ſtimulus, quo frequentior cordis contractio provocatur, perſeveret; exacerbans, ſi idem obex per intervalla creſcat; intermittens, ſi ſubindè deſinat, iterumquè generetur; deniquè prout obex major, aut minor eſt, faciliùs, aut difficiliùs diſcutitur, & magis minuſvè gravia affert ſymptomata.

Perſeverabit in corde obex, ſi tantus ſit, ut ſanguis impactus repetitis vaſorum oſcillationibus, & liquidorum appellentium motibus pertinaciter obſiſtat.

Per intervalla augebitur alterius cauſæ interventu, putà, commiſſi erroris in ſex rerum nonnaturalium uſu; ſed imprimis cruditatum, quæ à primis viis ſanguini ſuppeditantur, & quæ ſemper Febres, vel antecedunt, vel conſequuntur, atquè hinc intelliges cur, ità docente experientiâ, nulla ferè ſit Febris continua ſine aliquâ periodicâ exacerbatione.

Solvetur obex , ſi materia Febrilis hunc producens, ejus ſit conſiſtentiæ, quæ ab excitato orgaſmo penitùs atteratur ; dein verò ſubindè per periodos renovabitur ab iiſdem cauſis, quibus exacerbari Febrem continuam modò diximus ; nempè ſuppreſſione inſenſibilis perſpirationis, vehementi quopiam animi affectu, exercitiis immodicis, chylo dyſpepto & malè cocto, &c.

Febris, aut ejus paroxiſmi magis minuſvè durant, tùm pro diverſo vaſorum cordis elatere, quo promptiùs, vel tardiùs ab infarctu ſeſe liberare annituntur, tùm pro diversâ cauſæ morbificæ actione ac vehementiâ, quâ magis minuſvè expanſa eadem vaſa ſeriùs ocyuſvè reſtituuntur.

Deniquê ab iiſdem cauſis repeti debet exacerbationum , vel acceſſionum reditus nunc erraticus , nunc regularis, citior modò, modò tardior.

2°. Diverſa fiet cordis contractio pro diverſo cordis infarctu nervos cardiacos ſtimulante ex allatâ hypotheſi ; ſed ex diversâ cordis contractione majori , aut minori , vehementiori , aut debiliori, celeriori , aut tardiori , æquali, vel inæquali &c. Sanguis in arterias trudetur uberiùs , aut parciùs , celeriùs, vel tardiùs , quantitate æquali, aut inæquali ; &c. atquè adeò majorem , vel minorem, vehementiorem, aut debiliorem , celeriorem , aut tardiorem , æqualem , aut inæqualem , &c. arteriarum dilatationem promovebit ; ergò ex diverſo cordis infarctu mul-

tiplices deducendæ ſunt pulſuum differentiæ, quæ in variis Febrium ſpeciebus, vel diverſis earum temporibus obſervantur.

Interim tamen habenda ratio eſt tùm ſtatûs ſanguinis, tùm arteriarum conſtitutionis, tùm reſiſtentiarum, quas ſanguis à corde propulſus ſuperandas habet.

Quocircà pulſus parvus erit ac debilis, ſi paucus ſanguis arteriam ſubeat, ſi ingreſſus minoris rareſcentiæ capax ſit, ut in rigore Febrium intermittentium; magnus verò ac vehemens, ſi copioſus ſanguis ſingulis cordis contractionibus impellatur, ſi impenſè caleat & rareſcat, ut contingit ſubſequente calore; pulſus pariter æqualis, aut inæqualis futurus eſt, non modò ab æquali, aut inæquali cordis impedimento, indequè ortâ paris conditionis ſyſtole; verùm etiam à conſiſtentiâ fluidorum circulantium diversâ, diversaquè circulandi libertate, quibus ſanguis nunc modo æquabili & ordinato fluit, nunc inordinato & inæquali. Cæteras pulſuum ſpecies ab iiſdem fontibus petendas eſſe quis non videt.

30. Certum eſt, adaucto pulmonum impedimento in aſthmate, pari proportione intendi & accelerari reſpirationis motum; Certum pariter, creſcente adhuc infarctu, muſculos inſpiratorios majorem celerioremquè contractionis niſum exercere promovendo ſanguini hærenti, ſeu tollendo ſtimulo imparem, ut Orthopnoïci nonnunquàm experiuntur; certum deniquè, congeſtis un-

diquè in pulmone humoribus, pulmonales veſiculas omnimodam pati compreſſionem, præcludi ingreſſum aëris, ſicquè ægros, impeditâ pulmonum dilatatione, præſocari: ſimili prorſùs modo pro diverſo cordis impedimenti gradu diverſa oriri in Febre ſymptomata evidens eſt; nempè, aucto cordis ſtimulo, ſeu, quod idem eſt, auctâ ſanguinis hærentis copiâ, major & frequentior, quàm in ſtatu naturali, futura eſt cordis contractio, uberiori advocato ſpirituum affluxu, atquè hinc Febris: creſcente adhuc magis cordis infarctu, ſimul & præpedito in aliis vaſis à corde remotis humorum circuitu, fortiùs adhuc & celeriùs cor contrahetur; nec tamen ſanguinem contentum in appenſas arterias propellere poterit, oblataſquè in iis vaſis reſiſtentias ſuperare; hinc excitabitur niſus ille contractivus cordis vehemens, ſed fruſtraneus, ſeu palpitatio; inhibitâ tandem circulatione, cor ſanguine turgidum ſpirituum influentium ejuſquè fibras dilatare annitentium vim eludet & moveri deſinet, undè ſyncope, ſeu animi deliquium advocabitur.

4º. Verùm, ut jam dictum eſt, non in corde ſolùm, ſed & in cæteris corporis partibus conſtat in Febre inhiberi ſanguinis circuitum: undè cætera, quæ Febri ſuperveniunt ſymptomata, deduci debent.

Nam 1º. ſi inhibeatur in ultimis finibus vaſorum, quæ per habitum corporis diſperguntur, facilè intelligitur, hinc coagulato ſanguine & minùs æſtuante, illinc verò lan-

guidiori ſolidorum oſcillatione, eandem motionem tactûs ſenſorio inferendam eſſe, qualem admota glacies, aut quodpiam aliud corpus frigidum cuti appoſitum imprimere ſolet: undè frigoris ſenſus, qui initio Febrium intermittentium frequentiſſimè, rariùs in continuis exacerbantibus perſentitur.

Porrò ſanguis ſtagnans & lenteſcens in iiſdem vaſorum cutaneorum ramuſculis fibrillas cutis nerveas diſtrahit, & ſympathicos ſpirituum influxus ciet, quibus villi cutis tendinei criſpantur & conſtringuntur; hinc cutis rugoſa fiet & aſpera, ſimileſquè patietur ſuccuſſus iis, quos à frigore externo ſuſcepto pati conſuevimus, & qui horroris nomine veniunt; major autem erit, vel minor, brevior, aut diuturnior, pro majori, vel minori ſanguinis lentore. Horripilatio ab eodem fonte repeti debet.

In hoc rerum ſtatu, ſanguis ad partes externas ſegniter progrediens debili cordis & arteriarum motu quaſſabitur, ac minùs efferveſcet; hinc partes depoſito florido, quo priùs perfundebantur, colore, expalleſcent.

Inſpiſſato cruore, urinæ pellucidæ ejicientur, quòd ſerum limpidum & paucis ſulphureis particulis onuſtum è reliquis craſſioribus expreſſum, iiſquè ſupernatans per renales glandulas in pelvim, indequè ad veſicam urinariam copioſè amandatur.

Inſuper, præ nimiâ morâ ſanguinis in vaſculis glandularum miliarium, ſerum perſpi-

ratorium uberiùs ſecernetur, atquè in guttulas ſenſibiles aggeſtum & minori motu præditum, frigidum ſudorem conſtituet.

Quanquàm autem perſpirationis materies ad ſua incernicula ubertim affluat, cæteras tamen evacuationes minui conſequens eſt ex lentiori ſanguinis motu: undè ob minorem ſalivalis humoris ſecretionem areſcunt fauces & ſitis accenditur; hæc aliundè deduci poteſt in rigore febrili, vel ex eo quòd, frigeſcentibus partibus externis, interiora multùm caleant, nimioquè ſanguinis orgaſmo vel diſflentur partes aqueæ, vel confundantur, vel quòd humores ſuſquè dequè acti, & celeriori motu trajecti inſalutata colatoriorum oſtia prætereant; hinc quoquè patet ratio inappetentiæ.

Creſcente dein liquidorum impetu in vaſa obſtructa, creſcit pariter horum impetus in contenta liquida, proindequè ex validiori ſolidorum oſcillatione & fluidorum expanſione majori ſuccedit calor in univerſo corpore major, minor, brevis, diuturnus, internus, externus, pro obicis ſede & magnitudine, ſanguinis craſi, & vigore ſolidorum.

Febrili calore diſſipatis partibus aqueis, ſanguis exſuccus fit, & vaſa cutis rigidiora evadunt; debebit ergò cutis areſcere & exaſperari, ſimili ratione inductâ faucium ſiccitate ſitis aderit.

Propter majorem ſolidorum ſyſtolen & liquidorum rareſcentiam, coloratum, rubrum, turbidum lotium excernitur; quià attritæ par-

tes ramentoſæ ſanguinis unà cùm illo permixtæ ſecernuntur.

Quandoquè ſudor vigente, ſæpiùs declinante Febre, diffluit; quià in priori caſu, accelerato circuitu, ſanguis ad cutis glandulas frequentiùs appellens, uberiorem promovet fluidi perſpiratorii proventum; in poſteriori verò, ſedato fervore & remittente cordis motu, confuſi priùs humores & celeriùs provoluti, nunc extricati à reliquorum conſortio & aliquandiù retenti intrà cola faciliùs admittuntur.

Ab eodem prædicto vaſorum cutaneorum infarctu plùs minuſvè adaucto pendere exanthemata varia cutem defœdantia, puſtulas varioloſas, morbilloſas, eryſipelata, furunculos, anthraces, gangrænam, ſphacelum, &c. attendentibus obvium eſt.

2o. Hærentia ſanguinis in partibus muſculoſis plurima infert morboſa ſymptomata juxta varium infarctûs gradum varia.

Sanguis etenim in muſculorum contextu hærens, nunc tremulos ac convulſivos eorum ſubſultus ſympathicè provocat, in quibus horror & artuum tremor conſiſtit, nunc pondere ſuo muſculos premendo moleſtum quendam creat gravitatis ſenſum, ſeu laſſitudinem, qualem poſt exercitia immodica, defatigato plurimùm corpore experimur; atquè hinc mechanicè impellimur, doloris levandi causâ, ad extendendum corpus & in varias partes diſtrahendum, ſeu ad pandiculandum.

Virium

Virium robur pendet à debitâ muſculorum contractione, atquè hæc ab influxu ſpirituum requiſito; ſed in frigore & calore Febrili, tùm ſpiritus parciùs ſecreti parciùs quoquè ad ſingulas partes diſtribuuntur, tùm ſanguis in partibus muſculoſis collectus earum dilatationi, ſeu contractioni obnititur; ergò quocumque Febris tempore inhabilitas ad motum, & virium imbecillitas adfutura: hanc augent evacuationes immodicæ, & diæta tenuis, quibus humores & liquidum præſertim nervoſum exhauriuntur, collabuntur vaſa, minoriquè gaudent virtute ſyſtalticâ.

30. Si cor & partes cordi ſubjectæ infarciantur, major appellet ſanguinis copia ad cerebrum per vertebrales & carotides arterias; hinc major arteriarum cerebri dilatatio, jugis & uberrimus ſpirituum ad partes influxus, organorum tenſio, quâ ſuſceptæ objectorum ſenſiferorum impreſſiones ad commune ſenſorium faciliùs tranſmittuntur; præterea vigente Febre, partes ferè omnes transfluente ſanguine continuò diſtenduntur ac ſuccutiuntur, indequè fiunt refluxus ſenſiferi, quibus perſtat ſenſuum externorum exercitium; febricitantes igitur hac duplici ratione pervigilium patientur.

Ubi verò ſanguis ad caput irruens vaſa ſanguifera, vel meningum, vel pericranii obſtruet, diſtractis indè earum membranarum nervis, dolorem externum, vel internum capitis producet.

Si obſtructæ cerebri arteriæ validiùs pul-

ſent, fibras emporii medullares comprimént vehementiùs, proindequè conflictum ſpirituum vehementem parient, quo objecta abſentia tanquàm præſentia repræſentantur: undè delirium.

Creſcente ſanguinis appulſu ad cerebrum, proindequè auctâ arteriarum cerebri dilatatione, ſi tota cerebri moles æqualiter obruatur, compreſsâ ſubſtantiâ corticali aut callosâ, vel ſpirituum ſecretio inhibetur & laxantur ſenſoria, vel mutua ſpirituum compreſſio ad ſenſationes neceſſaria fieri non poteſt; hinc ſomnus magis, aut minùs profundus pro majori, vel minori compreſſionis gradu.

Sin autem ob inæquales ſanguinis concretiones, vel robur vaſorum inæquale, cerebrum inæqualiter oppleatur, ſecreti ſpiritus ab arteriis irregulariter pulſantibus modò in unam conſtanter, modò in hanc, aut illam partem corporis muſculoſam impulſi ſpaſmum, vel motus ſpaſmodicos inferent.

4o. Quandoquidem in Febre, corde frequentiùs pulſante, ſanguis frequentiùs ad pulmones truditur, non poterit pari quantitate redire per venarum ramos, quâ per arterias appellit; ſed, ingurgitatis ſanguine pulmonibus, eorum veſiculæ ab ingreſſuro aëre difficiliùs expandentur; ergò laborioſa erit reſpiratio: ab eodem ſtimulo, ſed paulò minori oſcitationem deduces, quæ ſæpè febrium intermittentium acceſſiones prænunciat. Tandem, aucto vaſorum pulmonalium obice, contingent pectoris dolor, hæmophthiſis, pleuritis.

peripneumonia, &c. nervorum preſſione, ruptione vaſorum, vel nimiâ eorundem repletione.

50. In omni Febre ſtomachum vitiari, vel primariò, vel ſecundariò, & conſequenter coctionem lædi nemo neſcit; pro diverſo autem coctionis vitio, nunc flatus emittuntur undè ructus, & oris fœtor; nunc materiæ generantur viſcidæ, quæ ſtomachi parietibus adhæreſcunt, undè inappetentia; nunc crudæ, ſalſæ, acres, acidæ, quæ vel mole ſimpliciter ponderant, vel pungunt, lancinant, aut alio quocumque modo nerveam ventriculi tunicam dolorificè diſtrahunt, & ſingultus, nauſea, vomitus, vel cardialgia excitatur pro vario irritationis gradu.

Cur eædem cruditates ad inteſtina delapſæ colicum dolorem, borborygmos, alvi fluxum, dyſenteriam &c. quandoquè pariant, facilè patet.

60. Si renes, inteſtina, hepar, aliaquè viſcera ſanguine turgeant, plures orientur morbi, nempè dolor lumborum gravativus, nephritis, urinæ ſuppreſſio, icterus, hepatitis, aliarumquè partium inflammationes, hæmorrhagiæ, ulcera, abſceſſus, ſchirri, &c. uno verbo, quemadmodùm functionum omnium viget integritas æquabili humorum circuitu, ità interturbato, numeroſa morborum caterva ſoboleſcit.

FEbris in genere præternaturali pulsûs frequentiâ dignoſcitur, ſeu, quod idem eſt, frequentiâ pulsûs & læſione functionum.

In explorando pulſu habenda ratio febricitantium ſexûs, ætatis, temperamenti: nam fœminæ, pueri, & ii, qui fruuntur temperie biliosâ, pulſum habent frequentiorem viris, adultis, & temperamento melancholico præditis.

Ad functionum læſionem maximè attendere oportet, ut Febris à fugaci & quaſi momentaneâ pulsûs frequentiâ diſtinguatur, quæ ab exercitiis, ſubitaneo aliquo animi affectu, aut aliâ causâ procatharticâ leviter agente producitur: hæc enim nullâ functionum læſione ſtipatur, imò per ſe & abſque remediis citò diſcutitur; præthereà experientia docet dari Febres inſidioſas & malignas, in quibus pulſus parùm à naturali recedit, ejuſquè frequentia vix à palpante digito percipitur, quæ notabili functionum vitio manifeſtantur.

Calor ſignum eſt Febris æquivocum, cùm nec in omni Febre, nec in quolibet ejus tempore conſtanter obſervetur.

Cauſas remotiores & antecedentes Febriũ, tùm ex ægri relatu, tùm ex antecedentibus & conſequentibus conjectare licet.

QUoniàm cor & arteriæ præcipua corporis humani machinamenta ſunt, quæ circularem promovent humorum motum, à quo cæteræ functiones pendent; patet illicò Febrem, quæ præternaturalis eſt cordis & arteriarum affectio interceptæ circulationis ſoboles, morbum eſſe periculoſum.

Varianda tamen ejus prognoſis multiplici ratione 1o. pro diverſo Febris ſtadio: ſic continuæ intermittentibus, ſic inter exacerbantes & intermittentes, quæ longiores habent exacerbationes, vel acceſſiones, cæteris majus portendunt periculum.

2o. Pro ſymptomatum vehementiâ: ſic complicata ſimplici, ſic peſtilens malignâ, hæc extensâ ſynocho, ſynochus demùm ephemerâ periculoſior cenſetur.

3o. Pro naturâ pulsûs: ſic minus eſt periculum, ſi pulſus magnus ſit, vehemens, plenus, & æqualis; majus, ſi parvus ſit, debilis, vacuus, inæqualis; maximum, ſi languidiſſimus, myurus, formicans, interciſus.

4o. Pro variâ febrientium ætate: ſic ſenes & pueri in majori quàm adulti verſantur diſcrimine; ſenes ob languidam vim oſcillatoriam vaſorum & effetam vapidamquè ſanguinis diatheſim; pueri ob partium mollitiem, cujus ratione vaſa ſemel ultra tonum extenſa elaterem ſuum nativum difficiliùs recuperant.

5o. Pro ſuccedentium evacuationum & remediorum adhibitorum ſucceſſu: etenim ſi nihil juvent evacuationes immodicæ, quæ, vel naturæ viribus, vel ſedulâ Medicorum induſtriâ concitantur, aut ſi medicamina convenientia, utcumquè tempeſtivè præſcripta, infeliciter ſucceſſerint, inſuperabilem eſſe cordis & arteriarū obicem, & vitalis alicujus viſceris inflammationem imminere arguitur, quod ſanè infauſtum eventum prænunciat; Contrà verò, ſi remedia aſſumpta proſperè ſuccedant, vel ſi evacuatio quædam critica ſuperveniat, quâ morbi vis conquieſcat, major affulget ſalutis ſpes: tunc enim conjicere eſt materiam Febrilem, vel ſubigi, atteri, & ad evacuationem diſponi, vel attritam fuiſſe, & ex parte evacuatam; ſic vomitu, diureſi, ſudore, puſtularum eruptione, aut cruſtâ in labiis Febrem plerumquè ſolvi compertum eſt.

EO potiſſimùm collimare debet generica Febrium therapeïa, ut nativa liquidorum fluxilitas, ac debitus ſolidorum tonus reſtituantur, proindequè reſerentur cordis aliarumquè partium impedimenta, & futuræ viſcerum inflammationes præcaveantur.

In hunc ſcopum I. quoniàm chyli vitio, aut uberi ejus proventu vaſa ſanguifera jam expanſa & humoribus turgida magis ac magis opplentur, diætâ tenui opus eſt: quamobrem, in Febribus præſertim acutis, ægros

ſolis juſculis cibare Medici ſolent, jubentquè abſtinere non modò ſolidis alimentis, ſed iis etiam, quæ levia ſunt & coctu facilia, nempè, cremoribus variis, offis, panatellis, gelatinis, &c. nam ſtomachus in Febre debilis, iners, & ex morbo cibis, utut euchymis, conficiendis ineptus ſuccos crudos & noxios generat: & aliundè, quamvis ritè coquerentur, copiâ chyli, quem ſuggererent, humorum molem & vaſorum infarctum augerent: hinc damnamus maleſanam plebeïorum & muliercularum conſuetudinem, quibus vivere solùm comedere eſt: quippè Febrientes nutriendo, eorum dejectas vires ut reficiant, magis adhuc opprimunt; quin etiam multos Febribus initio ſimpliciter putridis affectos in malignas conjeciſſe, & mortem intuliſſe infixum illud plebeculæ mentibus præjudicium multiplex docuit experientia.

Hinc quoquè improbanda nonnullorum indulgentia, qui ſucculentis carnium juribus ſæpiùs exhibitis febricitantes obruunt, quos eo pacto ad ſuſtinendam medicamentorum actionem vegetiores fieri opinantur; imò juſcula ægris interdicenda, eorumquè loco aquam puram putam, vel ptiſanam liberaliter epotandam ſuademus, donec remiſerint ſymptomata, & fames, quæ cibum docet, redierit; quo etiam tempore cautè exhibenda ſunt nutrientia & vires reficientia, incipiendo à levibus cibariis, ſenſimquè deinceps ad ſolida progrediendo, ut in convaleſcentibus ſolemne eſt.

Hanc ab omni cibo abſtinentiam efficaciſſimam eſſe medicinam non in Febre ſolùm, ſed in quovis alio morbo cenſemus ratione & experientiâ ſuffulti; ratione primùm : cùm enim aqua tenuiſſimis partibus conſtet ad circulandum aptiſſimis, quibus craſſæ ſanguinis partes diluuntur, illam juſculis potiorem eſſe evidens eſt, quorum oblongæ, ramoſæ, ſeu fibroſæ partes juſtò craſſiores ex vegetabilibus & animantibus depromptæ, mole ſuâ impedimentis vaſorum ſanguineorum augendis potiùs quàm reſerandis idoneæ ſunt. Deindè experientiâ : namquè perplures ſæpenumerò videre eſt, qui pharmaca & juſcula adeò averſantur, ut malint iis omninò parcere & ſolâ aquâ, vel levi ptiſanâ vitam ſuſtentare; quos tamen eâ methodo cæteris citiùs tutiuſquè ex Febre convaleſcere experimur, quâ in re, (pudet effari), humanâ ratione longè ſuperior eſt brutorum inſtinctus, quæ, ubi morbo quopiam laborant, abſque remediis ſolâ inediâ perſanantur.

II. Vigente febrili orgaſmo in exacerbationibus Febrium continuarum, aut intermittentium paroxiſmis, ſanguis mittendus eſt è brachiis, pede, jugulo, plùs minuſvè pro ægri viribus, pulsûs vehementiâ, ætate, ac temperamento, ut, depletis vaſis, tùm ſanguis liberiùs efferveſcat, tùm vaſa reſtituto elatere fortiùs contrahantur; ſic venæ ſectione, quâ nullum remedium eſt præſentius, ſolvuntur cordis aliarumquè partium obices, & inflammationibus occurritur, atquè hinc

ſubſequentibus

ſubſequentibus ſuppurationibus, gangrænæ, ſphacelo.

III. Paroxiſmi tempore, in quo purgantia nocerent, alvus identidem ſubducenda eſt laxantibus & refrigerantibus enematis, ut induratæ fæces molliantur, expurgentur, & exhibendis deindè catharticis quaſi viam parent; aſt poſtquàm Febris paululùm remiſit, expedit cathartica in uſum vocare, quæ non parùm conferre multiplici nomine certum eſt: 1°. Etenim primarum viarum ſaburram, quæ Febrium fomes eſt, è corpore eliminant; 2°. irritando inteſtina evacuationem promovent per inteſtinales glandulas, cujus ope depleta vaſa ſanguifera ad atterendos humores feliciùs inſurgunt; 3°. mole ſuâ ac ſuperficie ſolida irritando vim eorum elaſticam excitant, ſulphureas ac ramentoſas humorum partes commovendo, extenuant, dividunt, ſicquè hac duplici ratione vaſa ab infarctu liberant; hæc autem medicamina nunc blanda eſſe debent & multâ aquâ diluta, nunc mediocria, quibus quandoquè emetica admiſcentur, ſi præceſſerint ingurgitatio ciborum, nauſea, vomitus, ſi adſint oris fœtor, inappetentia, dolor in regione epigaſtricâ gravativus, aliaquè ſigna, quæ pravos in ſtomacho latere ſuccos arguunt, quos tutiori ac breviori viâ emetica evacuant.

IV. Medicus naturæ miniſter varios ejus motus ſedulò explorare debet, ipſiquè pro viribus opitulari, juxta illud ab omnibus Medicis communiter receptum, *quò natura*

vergit, eò ducere oportet; ſic ſudantibus ægris ſudorifera; alvi fluxum, aut urinæ proflu-vium patientibus, purgantia, vel diuretica, naturâ viam monſtrante, utiliſſima ſunt.

V. Mitiganda ſunt ſymptomata, quæ Febrem concomitantur, remediis propriis & convenientibus; verùm ſingula hæc ſigillatim hîc proponendi locus non eſt, cùm ſymptomata Febrium tot tamquè varia ſint, eorumquè enumeratio ſpectet ad ſingularem cujuſque Febris ſpeciei curationem.

VI. Vires opprimuntur potiùs in Febre, quàm debilitantur; hinc ſedulò abſtinendum à cardiacis, (niſi pulſus omninò langueat & præſens adſit ſyncopes periculum, ut in Febribus malignis, quo in caſu, urgentiori ſuccurrendum eſt) quæ ſtimulando vaſa & fluida commovendo, orgaſmum nimium concitarent, & vitalis alicujus viſceris inflammationem accerſerent, quod maximè pertimeſcendum in his præcipuè, aliiſquè calidis regionibus.

VII. Deniquè, præmiſſis phlebotomiâ & catharticis, prout Febris natura poſtulat, maximè proſunt alterantia ſtomachica, amara, & febrifuga, quæ cruditates corrigunt, ventriculum & inteſtina roborant, mucum viſcidum internis eorum viſcerum parietibus adhæreſcentem abſtergunt, fluidorum digeſtivorum ſecretionem juvant, ſanguinem, cæteroſquè humores liquefaciunt & aperientium vices gerunt: talia recenſentur abſynthium minus, chamædrys, centaurium

minus, calcitrapa, radix gentianæ, piſtolochiæ, &c. ſed inprimis cortex peruvianus, quorum omnium medicamentorum ſucceſſum non in Febribus modò intermittentibus, verùm etiam in continuis, imò & in morbis quibuſlibet periodicè recurrentibus felix dudùm uſus ac diuturnus comprobavit.

Ad hanc febrifugorum claſſem referri debent Hippocaſtani, ſeu Caſtaneæ equinæ fructus, ſecundum ſanè remedii genus, nuper in hac Civitate promulgatum ab Illuſtriſſimo Viro D. Bon, Principe Supremi Monſpelienſis Subſidiorum, Computorum, Fiſciquè Senatûs, dignitate minùs, quàm eruditionis laude inſigni.

Hos fructus, utut naturà ſuâ acres, in uſu fuiſſe apud Authores legitur; alii (*a*) eorum pelliculam extimam ſubrubram pondere ſemidrachmæ in vino auſtero infuſam alvi fluxibus prodeſſe dicùnt; alii (*b*) pulveratos ſternutatorium optimum prædicant; omnes ferè uno ore Botanici tanquàm ſtipticum potentiſſimum equis hemoptoïcis, tuſſientibus, vel anhelantibus & ilia ducentibus mandendos jubent; alii (*c*) demùm eos corio exutos, ſiccatos clibano & in pollinem redactos aſthmaticis & Febre malignâ laborantibus feliciter adhibuiſſe ſe aſſerunt; deniquè fecit in prælaudato Viro rerum natura-

(*a*) Hiſtoire des Plantes de l'Europe, Tome 2. Livr. II. Sect. 4.
(*b*) Traité des Drogues de Mr. Lemery.
(*c*) M. Tablet, Memoire de Trevoux, Mars 1709.

lium ſtudium, quo ab incunabulis ſummoperè flagrat, ut reconditi alii eorum uſus retegerentur: Poſtquàm enim artem nos edocuit aves ſaginandi (*d*) eorum farinâ lixivio edulcatâ, ut dulcibus miſceret utilia, prædictas Caſtaneas vertere in hominis emolumentum decrevit, & factis pluries à ſeipſo periculis comperit, (quod & egomet tanti Viri ſuaſu & experientiâ ductus non ſemel expertus ſum, tàm in Febribus continuis, quàm intermittentibus, præmiſſis præmittendis, & evacuato corpore, ut decet) horum fructuum priori methodo præparatorum pulverem, eâdem doſi, quâ kina-kina præſcribi ſolet, interjectis juſculis quartâ qualibet horâ exhibitum, nunc ſimpliciter in aquâ ſolutum robuſtis & paganis, nunc verò delicatioribus cum melle Narbonenſi & ſyrupo capillorum Veneris mixtum, Febres intermittentes, continuas, exacerbantes radicitùs depellere, atquè, indè ducto analogiſmo, morbis quibuſlibet periodicis convenire, nec ſine fundamento, opinamur. Illud medicamentum non modò ſuademus, ſed kinæ-kinæ præferendum in Noſocomiis ob vilitatem pretii arbitramur, tantoquè magis quòd cortex peruvianus, neſcio quo fato, minoris hodiè ſit efficaciæ in curatione Febrium: quod quidem an ità ſe habeat, quia lucri majoris causâ ad nos adulteratus mittitur, an quià vis ejus vetuſtate & uſu nimio enervata quaſi conſenuit, aliorum ſit judicium.

(*d*) Memoires de l'Academie Royale des Sciences. Ann. 1720.

506
300

202: 10:
135:
337: 10
75
202
240
502

270
135
135
0